



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 4. Vtrum principalius Christus incarnatus fuerit propter peccatum originale, an actuale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

59

Dices; Deus destinauit homines in statu innocentiae ad salutem; per dona sufficientia supernaturalia, sine respectu ad Incarnationem Christi: ergo &c.

Quomodo dicuntur homines prædestinati ad salutem in statu innocentia.

Respondeo; Illa destinatio, non erat prædestinatio propriè dicta, de qua loquimur; sed ordinatio quædam prouidentiae supernaturalis, quæ per peccatum fuit intercisâ & abrupta, ita ut effectum non habuerit. Sicut ordinatio Luciferi, & illi adhærentium, non erat vera prædestinatio. Nam prædestinatio, est ordinatio ad salutem, per media quæ reipsa sunt efficacia; id est, quæ effectum præstant. Talis autè ordinatio in hominibus præsupponit Christi Incarnationem; nam media per quæ saluamur, à Christo pendent; & consequenter voluntas conferendi hæc media supponit Christi Incarnationem.

60

Sed difficultas superest de prædestinatione Angelorum; sitne prior, an posterior Christi prædestinatione?

Respondeo & Dico Quarto, Si Angelis fuit reuelatum mysterium Incarnationis in statu viæ, tamquam necessariò ab illis credendum; Christi prædestinatio fuit prior eorum prædestinatione: Si autem non fuit reuelatum, neque prior fuit neque posterior.

Prior pars patet, Quia si illis propositum fuit mysterium Incarnationis explicite credendum (vt multi existimant:) ergo media quibus reipsa sunt consecuti salutem, horumque mediõrum præparatio in mente diuinâ, supponebant præordinationem Incarnationis Christi: præordinatio autem Christi, nõ supponebat eorum prædestinationem: ergo prædestinatio Christi est prior.

Angeli independentes à Christo sunt prædestinati.

Posterior pars probatur: Quia si illis non fuit hoc mysterium reuelatum, impertinens fuit ad illorum prædestinationem: ita vt illorum prædestinatio non supponat huius mysterij præordinationem, nec contrà: & hoc fortè est verius, magisque videtur consentaneum testimonijs Patrum supra allatis num. 40. Et insinuat Apostolus prioris ad Corinth. 2. v. 7. cum ait: *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quam nemo Principum huius sæculi cognouit: si enim cognouissent, numquam Dominum glorie crucifixissent.* Vbi per Principes huius sæculi, intelligit non solum Pilatum & Herodè, & Principes Sacerdotum: (vt quidam volunt) sed maxime & imprimis dæmones; vt exponunt Cõmentarij Ambrosij, Haymonis, Anselmi, D. Thomæ, Caietani, & aliorum, idque optime probant Ambrosius & Caietanus. Vnde sequi videtur Angelis in viâ hoc mysterium non fuisse reuelatum; alioqui dæmones illud cognouissent. Neque vlla necessitas nos cogit Christi prædestinationem ponere primam, aut Christum ponere primum prædestinatorum, nisi inter homines; quorum prædestinationis ipse est causa.

61

Dices; Adamo est reuelatum hoc mysterium: ergo & Angelis. Antecedens probari potest testimonijs multorum Patrum. Et Confirmatur, quia peccatum Angelorum fuit appetitio vnionis hypostatice.

Respondeo, Admisso antecedente, quamuis non sit adeo certum, vt docet Molina l. p. q. 57. a. 5. negatur consequentia; quia est peculiaris ratio in Adamo, cum ex eius semine Christus esset nasciturus, & ipsum cum totâ posteritate redempturus. Ad confirmationem; fortè verius est pec-

catum diaboli non fuisse appetitionem vnionis hypostatice; tum, quia id Patres non latuisset, cum non sit subtilitas metaphysica, sed mysterium maxime notabile: tum, quia fortè tunc Angeli non poterant concipere qualis esset homo; cum peccauerint primo die; homo autem fit conditus sexto. Itaque videtur verius, peccatum eius fuisse superbiam conceptam ex consideratione suæ pulchritudinis, & diuitiarum sapientiæ & potentiae; quæ superbia consistebat in eo, quòd iudicio prætico & voluntate ita se estimabat & ab alijs estimari volebat; ac si ea omnia à seipso, & non à Deo habuisset: quomodo superbi Reges consideratione suæ potentiae & diuitiarum, se efferebant. Quod potest confirmari ex c. 28. Ezechielis, vbi sub typo Regis Tyri describitur peccatum Luciferi. Et Isaia 14. vbi sub figurâ Nabuchodonosoris.

Quale fuerit peccatum Angelorum.

ARTICVLVS IV.

Verum principalius Christus Incarnatus fuerit propter peccatum originale, An actuale?

Respondeo & Dico Primo, Christus venit ad omnia peccata delenda: id est, ad exhibendum remedium sufficiens omnibus peccatis delendis. Est de fide ad Rom. 5. v. 15. *Non sicut delictum, ita & donum &c. nam iudicium ex vno, in condemnatione; gratia ex multis (id est ex omnibus) delictis, in iustificationem, &c. processit.* Primæ Ioannis 1. v. 7. *Sanguis IESV Christi emundat nos ab omni peccato.* Et c. 2. v. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum; sed etiam pro totius mundi.*

Christus venit ut tollat omnia peccata.

Ratio est; Quia Christus venit vt perfectus Redemptor & Saluator, qui nos in vitam æternam perduceret: ergo venit ad tollenda omnia impedimenta vitæ æternæ: atqui omnia peccata, non solum originale, sed & actualia, etiam venialia, sunt impedimenta salutis æternæ: ergo &c.

Dico Secundo, Si peccata actualia conferantur cum originali; principalius venit propter originale. Ita D. Thomas hoc loco, & clariùs in 3. dist. 1. qu. 1.

63 Principalis tamen ut tollat originale.

Probat; Quia Scripturæ cum agunt de Christi satisfactione, sepe loquuntur de peccato in singulari numero; quasi velint insinuare esse aliquod radicale peccatum, ob quod potissimùm Dominus venerit. Patet hoc Ioan. 1. v. 29. *Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccatum mundi.* Ita enim habent Codices Greci. Et præter Patres Græcos, ita legunt Irenæus lib. 3. contra hæreses c. 11. August. l. 12. contra Faustum cap. 30. Cyprian. lib. de duplici Martyrio (quamuis certum sit hoc opusculum non esse Cypriani Martyris) & alij recentiores, vt Beda, Glossa &c. Ad Rom. 5. v. 15. *Non sicut delictum, ita & donum.* Qui locus vsque ad finem capitis expendendus est. Et 1. ad Cor. 15. v. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Quibus locis, inter se confert obedientiam meritumque Christi, & peccatum Adæ: insinuans hæc potissimum inter se opponi, & alterum per alterum tolli: Isaia 53. vers. 6. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.*

Ratio

Ratio est; Quia peccatum originale infecit totam naturam; adeo vt ex se in infinitos homines dimanare, & omnes à statu gratiæ & spe beatitudinis deturbare posset; quod nulli peccato actuali conuenit. Accedit; quod originale in singulis hominibus est minus voluntarium, quàm actuale, præterquam in Adamo. Vnde potius quàm alia, misericordiam merebatur.

Dices; Vniuersa peccata actualia sunt maius malum, quàm omnia peccata originalia omnium hominum; nam peccatum mortale actuale, longè grauius est intensiue, quàm originale; quia est maior Dei iniuria; cui abolendæ Christus venit; hinc peccatum mortiferum grauisimâ pœnâ puniatur, originale mitissimâ. Accedit quod longè plura sint actualia peccata, quàm originalia; cum originale sit vnicum in singulis, actualia inter-dum innumerabilia.

Respondeo; Esse quidem maiorem malitiam intensiue in peccatis actualibus, quàm originalibus: tamen quia illorum omnium radix est originale, & hoc actualibus extensiue est maius, eò quod non coëreatur vnâ personâ, sed inficiat totam naturam, eamque priuet vltimo fine; ideò magis pertinebat ad bonum humani generis hoc deleri, quàm alia. Sicuti maius beneficium præstaret Republicæ, qui curaret leuem aliquem languorem; quò vniuersus populus laborat, ex quo postea grauisimi morbi nascuntur; quàm qui curaret illos morbos, relicta radice.

D V B I V M . I.

Virum Christum fuisset venturus, si tantum fuisset peccatum actuale: Vt si Adam non peccasset, aliqui tamen ex eius posteritate peccassent?

64 Quidam existimant Christum venturum, etiam si vnus tantum peccasset. Primò; Quia Apostolus ad Gal. 2. vers. 20. ait: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Quod etiam insinuat parabola de oue perditâ Luc. 15. Secundò; quia tale quid videtur reuelasse sancto Carpo, vt refert Dionys. Areopag. epi. 8. ad Demophilum, vbi Carpo indignanti, quòd quidam, qui à fide descuerat, & alius qui illum peruerterat, non demergerentur in hiatus inferorum; Christus dixit se esse paratum iterum pro saluandis hominibus pati. Sed hæc sententia est parum probabilis. Ad primum, Respondeo; verba Apostoli tantum significare Christi redemptionem ita professe singulis, ac si pro singulis seorsim mortuus esset; vt exponit Chrysostr. lib. 2. de compunctione cordis vltra medium, & August. lib. 3. confess. cap. 11. D. Thom. hic. ad 3. Vnde ita Domino gratias agere debemus, ac si pro nobis solis mortuus esset. Ouis autem perditâ, est totum genus humanum, non autem vnus homo. Ad secundum; Non dicitur ibi quòd Dominus sit paratus iterum pati pro vno, sed in genere pro hominibus; nempe si opus foret. Deinde et si Christus ex parte sua sit paratus etiam pro vno pati, tamen non est verisimile Patrem hoc velle.

Christus non fuisset incarnatus propter vnum solum.

65 *Noque propter plures.*

Alij dicunt Christum venturum, si valdè multi peccassent, præsertim si peccatum parentum transfunderetur in posteros; tunc enim posteri alieno peccato perirent; ac proinde conueniens esset, vt

alieno merito redimerentur: ideò enim genus humanum per alium redemptum fuit, quia per alios perierat. Vt D. Anselm. lib. 2. *Cur Deus homo.* c. 21. & Bernardus serm. 1. de aduentu.

Sed dicendum est nihil in hac re esse certi: esse tamen valdè verisimile, Christum non venturum si ipse Adam non peccasset. Hoc enim insinuat Scripturæ & Patres supra num. 40. citati. Et imprimis illud Gregorij: *O verè necessarium Adæ peccatum! ô felix culpa, quæ talem meruit redemptorem!* Ratio est, quia si alij peccassent, peccata illorum non fuissent transfusa in posteros, vt alibi diximus; quia non conueniebat vt aliorum voluntates, in alterius voluntate & arbitrio penerentur, quàm eius, qui erat caput humani generis; alioqui fuisset valdè misera posterorum conditio, si illorum salus à singulis parentibus tam periculosè dependisset. Quare si Adam non peccasset, quicumque fuissent peccatores, propria voluntate peccassent, non alienâ: qui sanè pauci fuissent; nam exemplum miseriæ vnus aut alterius, reliquos reddidisset cautiore. Credibile tamen est eos qui sic peccassent, non carituros fuisse omni remedio; sed Deum aliquo modo illis prouidurum.

D V B I V M . II.

Virum Christum fuisset venturus, si tantum fuisset peccatum originale, & nulla inde actualia fuissent secuta?

66 Respondeo; Quæstio supponit id quod moraliter est impossibile; Nam fieri nequit sine speciali priuilegio, vt peccatum originale ita comprimatur, vt nulla inde emergant actualia. Concessâ tamen eiusmodi hypothesi, omnino verisimile est Christum fuisse venturum: quia totum genus humanum fuisset perditum & obnoxium æternæ damnationi, saltem pœnæ damni: vnde decuisset illud reparari. Hoc autem non poterat fieri secundum exactam iustitiam, nisi meritis Filij Dei. Confirmatur primò; quia Patres passim docent mysterium hoc decretum ex præuisione peccati Adami, quo introductum est originale: vnde non videntur agnoscere necessariam dependentiam ex præuisione peccatorum actualium. Confirmatur Secundò, Quia Apostolus ad Roman. 9. & prioris ad Corinth. 15. indicat Christum venisse ad tollendam condemnationem inductam vnus delicto, scilicet Adami: ergo &c.

Christus venturus fuisset ob solum originale.

ARTICVLVS V.

Virum conueniens fuerit Christum incarnari ab initio mundi?

67 Respondeo & Dico Primò, Non fuisse conueniens vt assumeret carnem ante peccatū. Ratio est; Quia *Non est opus valentibus Medicus, sed male habentibus,* Matth. 9. v. 12.

Dico Secundò, Neque etiam erat conueniens vt assumeret carnem statim post peccatum Adæ. Quod probat D. Thomas quatuor coniecturis, quæ sic possunt disponi & explicari. Primò, Id non erat conueniens propter dignitatem huius mysterij; quia oportebat vt tantum Regem plu-

Incarnatio nõ debebat fieri statim à peccato Adæ.

B b iij rimj